



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg


Ingolstadii, 1651

§. 1. Dei ars est, contraria è contrarijs elicere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT XXI.

Mirabile iudicium Dei, per simplicissimos, sæpe efficientis, quod per sapientes sperari non potuisset.

- I.  On subuenit igitur tantum ijs diuina misericordia, quibus alij non subueniunt; aut qui aliunde deserti sunt, sed sæpe etiam subuenit, per lupos, per ceruos; aut si per homines, certè per illos, de quibus minimè sperauisses; sicut in contrarium sæpe nocent, quos credidisses tibi profuturos, vt *pro perca*, quod dicitur, *scorpium capias*, & ex ipsa *vipera medicinam*, hoc est, *ex inimicis salutem*. Ars maior est, remedijs minoribus succurrere: maxima autem, si non tantum contraria contrarijs curentur, sed etiam ipsi artis præcepto contraria adhibeantur. Sic Seruator *expuens in terram fecit lutum ex spuo*, ad oculos cæci illuminandos, cum alioqui luto oculi excæcentur; nihil enim illis magis est contrarium. Sic cum nihil sit, quod aquas magis reddat amaras atq; impotabiles, quàm sal (vt ex marinis aquis est manifestum, quas nemo potest bibere) tamen Elisæus eas, immisso in amaras aquas sale, dulces potabilesque effecit. Si artem sequi humanam, aut pharmacopolas voluisset imitari, saccharum insperisset, mel infudisset, mulsum, non salem, indidisset. Habet ergo præcipuam admirationem diuinæ prouidentiae illud cœleste iudicium, quo *uocat ea que non sunt, tanquam ea que sunt*; & utitur ijs, qui sunt contentibiles, in hominum oculis, vt eos confundat, qui sibi videntur esse sapientes. Nam quemadmodum, apud Strabonem, *Crotoniatarum postremus, reliquorum primus est*, ita sæpe, apud Deum, *primi fiunt nouissimi, & nouissimi primi*.
- II. In quam rem *Vido Abbas Cisterciensis, postea Cardinalis, cum missus esset Colonias, ad electionem confirmandam, que facta fuerat contra Philippum in Othonem, retulit ibidem, quandam sanctæ simplicitatis historiam satis incundam, satisq; mirabilem*. Dicebat enim, Cisterciensis ordinis domum quampiam, in ditione sitam Nobilis, sed Deum ac diuina non curantis viri. Is, cui ius & vis idem erat, cœnobium multis miseris vexabat modis; per præfectos ac ministros reliquos, de annona, de vino, de pecoribus Monasterij,

Luc. 1. 71.

Ioan. 9. 6.

4. Reg. 2. 20.

Rom. 4. 17.

Strab. lib. 6.

Matt. 19. 30.

I I.

Cæsarius

lib. 6. cap. 2.